



Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXVIII. De Animalibus mansueris & mansuefactis. Conf. Rubr. Fera
bestia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

CAP. XXVI.
De Amicitia, Amico,
Amore.

Axioma I.

Ad officia publica nemo ex amicitia sed comodo Reipubl. eligendus est *l. un. C. si propter inimicitias.*

II.

Casus pro amico est casus pro diabolo. Limita, in causis iustitiæ: si enim utriusque litigatoris petitio æque iusta videatur Judici, hic pro amico pronunciare non potest, quia hac ratione alteri, qui æque bonâ causâ nititur, suum non tribueretur contra *l. 24. §. 4. pr. ff. de Minor.* Præstat ergo partes ad transactionem inducere vel rem forti committere. Fallit ergo Axioma in causis gratiæ & beneficiorum.

CAP. XXVII.
De Amissione.

Axioma I.

Amissio apochæ solventi non nocet quando de fide illationis & solutionis factæ sufficienter constat ex libro rationum publicarum *l. 2. C. de discuss.* qui solventi edendus est. *Nov. 128. cap. 4.* adeo ut collator non teneatur huiusmodi casum probare. sed sufficit allegare, sine culpâ suâ se apocham amississe. Imò si hoc casu de solutione nihil contineatur in dicto libro, non deneganda est debitori petenti renovatio apochæ continentis solutionem factam & amissionem. *Perez. C. de diffusor. n. 8. seqq. vid. Franck. Lib. 2. Resol. 14.* Dissentit *Brunneman. ad l. 2. C. de Apoch. publ.*

II.

Non restituuntur amissa, nisi in pristinum statum res restituitur. *vid. Matth. de Affict. super 3. Feud. Tit. de beneficio famina cap. 1. §. ex hoc. n. 35. pag. 60.*

De Anatocifino *vid. Rubr. Usura.*

CAP. XXVIII.
De Animalibus mansue-
tis & mansuæ factis. *Conf. Rubr.*
Fera bestia.

Axioma I.

Quodcumque juris est in vindicatione rei nostræ corporalis, idem juris est in animali mansueti. Quia bestia talis æquæ est in dominio ac alia res corporalis. Hinc animalia ejusmodi vindicari quocumque tempore possunt, & si aufugerint, detineri ab alio absque crimine furti non possunt. *§. 16. Inst. de R. D. si scil. animus lucrandi adsit. Koppen in usu Pract. Instit. obs. 71.*

II.

Quodcumque juris est in bestia manifestata capienda, idem quod in bestia est in captura apum, pavonum & columbarum, quia etiam hæc animalia fera naturam habere videntur *§. 14. seq. Inst. de R. D. cum liberè vagentur, facileque emanere soleant.*

Limita: ut tamen apum captura hodiè sit paulò liberior, si integrum examen evolaverit, wenn sie schwärmen.

CAP. XXIX.
De Animo.

Axioma I.

Quoties in Jure aliquid fieri dicitur solo animo, toties non excluduntur verba sed facta. Quia sine verbis aut aliis signis non potest constare de animo, cum propositum in mente retentum nihil operetur. *l. 7. C. de Condict. ob caus. Exemplum est in §. ult. Inst. de hered. qual. & differ. quod aliquis solo animo suscipiendæ hereditatis heres fieri possit.*

De animo injuriandi *vid. Injuria.*

II.

Animus viciat multas actiones suâ naturâ non illicitas, ut censum in Davide *2. Sam. 24.* thesaurorum ostensionem in Ezechia *2. Reg. 20. v. 13.* Fiduciam in Ægypto positam *Es. 31. Grotius de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 15. §. 9. n. 9.*

CAP. XXX.
De Anno, Annuo.

Axioma I.

Relictum annuum respectu certæ necessitatis debetur eo tempore quò est necessitas. *Brunneman. C. de Militar. veste. col. 1.*

II.

Anni unius damnum cum alterius lucro compensatur. *l. 15. §. 4. ff. locati.* Hoc non procedit, ubi deest mutus & correlativus respectus annorum. Hinc licet quis ob competens privilegium quotannis evehendi certam frumenti quantitatem ob sterilitatem unius anni nihil eveherit, sequenti tamen anno uberiore non potest sarcire damnum evehendo plura quàm quolibet anno licet. *Perez. C. ut nemini liceat in coemt. n. 2.*

III.

Annus cœptus habetur pro completo: hinc integri anni salarium salarati heredibus præstat, ut & legatum annuum *l. 4. de offic. assessor. l. 5. de annua legat.*

Limita: (1.) in marito usufructuario ejus temporis quò matrimonii onera fert. (2.) servo operas locante *l. 25. §. 12. de usufr.* (3.) Beneficiario Ecclesiastico, hujus enim heredes fructus proportionatâ temporis cum successore dividunt, *Perez. C. de annon. civil.*

num. 7.

CAP.